

*Dragutin Tadijanović:*

### IN ALTI FLAVIS ARISTIS

Cum rubrum caelum illucescit  
et mane serenum albescit  
et ego per agros roris plenos transeo  
in quibus in iuveni vento fluctuant  
aristae graves  
alti flavi tritici, —  
repentine consisto.  
Ecce,  
cor meum gaudio sonans pulsat  
ut aureum horologium.

*Zagreb.*

Versio: *T. Smerdel.*

*Jure Kaštelan:*

### MALLEM A TE AMARI

Mallēm a te amari  
et ut flos in crinibus tuis esse.  
Si nox atra es, aurora ero  
fulgurque in luce roris.

Mallem a te amari  
et in dies omnes carmen esse.  
Si tu fons es, ego in rupe  
puteus clarus ero.

*Zagreb.*

Versio: *T. Smerdel.*